

168

55. N.

Ung. Bild.
VI. 75



G. H. 14

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-75.

SIGNAT. c1515CCCXIII.

23

JESU BONE FAVE!
DISPUTATIO METAPHYSICA
SECUNDA,
SUMMARIAM DECISIONEM
CONTROVERSIARUM
DE
ENTE RATIONIS
Exhibens,

quam
In florentissimâ Leucoreâ

Sub PRÆSIDIO

M. JOHANNIS BAYERI, Epe-
riesino Hungari,


Publicæ Philosophantium limæ
submittit

MATTHIAS Stürker /
Neosoliensis Hungarus.

In Auditorio Minori

Ad diem XXI. Julij horis pomeridianis,


ANNO MDCC LII.



Typis MICHAELIS Wendi.

h. III. 2030





DECISIO I.

*Sedes disciplinæ, Entis Rationis in Communi,
propria,*

1. **D**esperam constituitur in Logica; quod Jesuita Herbipolensis, Melch. Cornæus facit in Curric. Phil. Peripat. part. 1. p. 59. & seq. Jacobus Fournenc. Presbyter Congregationis Oratorii D. JESU. in Universæ Philosoph. Synopsi Tom. 1. c. 2. p. 11. seq. Carol. Franc. D' Abra de Raonis præhud. postremo Log. c. 1. Sect. 2. Philippus à S. Trinitate part. 1. Summæ Philosoph. q. 2. p. 43. & seq. Franc. Bonæ Spei Tract. I. Log. disp. 1. dub. 2. seq. Et alii: potissimum ii qui Ens Rationis putant esse adæquatum Logicæ objectum.

2. *Perperam quoad naturam suam in Logica, quoad difficiliore questiones in Metaph., quod contra Suarez. disputans facit Johannes Lalemandetius. Ord. Min. Sancti Franc. de Paula, per Germaniam, Bohemiam, Moraviam, Provincialis, in decis. Phil. Controversiar. inter Thomistas & Scotistas part. 1. disput. 2. Itemque part. 3. disp. 4.*

3. *Rectè verò quoad totam suam Rationem in actu signato consideratam, in Metaph., quod expressè asserit Suarez. disp. 54. Metaph. ac dicit, contrariam Sententiam esse Dialecticum errorem. Hunc sequitur Mendoza disp. 19. Metaph. Rod. ab Arriaga disp. 6. Metaph. Gilbertus Jacchæus Instit. Metaph. 1. 6. c. 25. & 26. Dn. Casp. Ebelius Collegii Metaph. Specialis disp. ult. B. Jacob. Martini Partit. Metaph. 1. 2. Sect. 15. Franco Burgersdicius Instit. Metaph. 1. 1. c. 2. Paulus Voetius Phil. Primæ Rerfor. c. 2. Sect. 2 n. 11. p. 31. & c. 6. Sect. 2. n. 1. p. 89. & alii, qui videri possunt.*



DEC. II.

Quod tamen directè non fit, sed indirectè:

Secus atque contrà Suarium disputat. Joh. Caramuel à Lobkovitz l. 2. Metalogicæ, qui est Paralogicus de Entibus Rationis & Entibus Linguae princ. i. in q. incidente, ubi asserit, Ens prout abstrahitur à Reali & Rationis esse Objectum proprium, proximum, &, uti ex oppositione Sententiæ Suarezianæ patet, directum, Metaphysicæ; adeoque ipsum quoque si detur, quod tamen dari aliàs negat, Ens Rationis, prout illud accipitur, pro formalitate Chimericâ & indivisibili, mente conceptâ; aliàs verò, si Ens Rationis sumatur pro Chimericâ Conjunctione formalitatum Realium, tunc negat plane ad Metaph. id spectare. Ubi tamen Ens Rationis in Comuni, quoad suam naturam spectatum, cum Entibus Rationis præcisè talibus aut talibus confundit. Idem Consequentè cum Caramuele statuere necessum est omnes eos, qui in præcedente disputatione existimarunt, Objectum Metaph. proprium atque directum, esse Ens ita latè sumptum, ut Entia tam Rationis, quàm Realia includat. Hos verò omnes expressè impugnat nobiscum Casp. Ebelius l. d. S. Unica, art. i. Paulus item Voetius l. d. ut & c. 6. Sect. i. n. i. p. 81. Cum quibus alii nostrates Philosophi plerique consentiunt.

DEC. III.

Ubi nihil refert an in initio, circa nominalè Entis Evolutionem, in specie verò inter Entis opposita de eodè agatur; quod Franco Burgersdicius, Paulus Voet, aliique non nulli observant; An verò in fine ceu de Simiâ quadam Entis veri: quod ut plurimum solet fieri.

DEC. IV.

Certum verò est, Entia Rationis, etsi esse Reale extra intellectum non habeant; dari tamen juxtà esse objectivum in intellectu. Contrà eos, qui omnia omnino Rationis Entia eliminata cupiunt ex agro Philosophico, quod facit autor Objectionum primarum in Meditationes Renati Cartesii de i. Philos. p. m. 49. qui gloria-

gloriatur, se jam à puero ferè Chimeris omnibus & cuivis Enti
Rationis aquâ & igne interdixisse. E Scholasticis quoque à
Jac. Fournenc. pro Sententia contrariâ citantur Nominales,
Gabriel in l. d. 2. Jandunus 6. Metaph. Vallesius Contr. 10. Pro
eâdem quoque Suarezius disp. 54. Met. Sect. 1. n. 2. citat Mairo-
nium in quodl. q. 7. quem tamen asserit Entia Rationis rejice-
re disputandi magis gratia, quàm asserendi. Citatur item ab
eodem Bernardinus quidam Mirandulanus. Paulus Voetius
Primæ Philos. reformatæ c. 6. Sect. 2. n. 4. p. 91. Durandum
quoque hanc in rem producit; quem tamen ipsemet prope-
modum excusat, quod videatur loqui de Ente Rationis, quo-
a conceptum suum formalem, qui omninò est Ens quodpiam
Reale, excusat quoque hunc Slevogd. Omnium verò acerrim-
um haud ita pridem universis Rationis Entibus bellum in-
dixit Joh. Caramuel à Lobkovitz. Metalog. l. 2. princ. 3. qui
multis argumentis probare nititur non dari Entia Rationis
humanæ, nec ab ulla intellectus operatione formari posse. Ac
ut fortius id evincat, probat, voluntatem quoque adhæc ipsa
fabricanda ineptam esse: In quo nos non habet dissentientes,
ut postea patebit. Sequitur Caramuelem P. Caspar Oderwolff/
à Caramuele l. d. princ. 9. citatus, qui anno 1647. in thesibus
publicis sub illius auspicio habitis n. 19. hæc habet: Ens Ra-
tionis, quod habeat tantum esse objectivum in intellectu, non
datur. Sed contra hos omnes ab omnibus ferè communiter
pugnatur. Ita Suarez. disput. 54. Metaph. Sect. 1. Mendoza
disp. 19. Metaph. Sect. 1. §. 10. Roder. Ab Arriaga disp. 6. Me-
taph. Sect. 2. Joh. Lalemandet. part. 1. decis. disp. 2. & part. 3.
disp. 4. Philip. à S. Trinitate part. 1. Summæ Phil. q. 2. Art. 1.
p. 44. seq. Franc. Bon. Spei Tract. 1. Log. disp. 1. dub. 2. resol.
5. qui expressè contra Caramuelem disputat. Carol. Franc D'
Abra de Raconis prælud. post. Log. c. 1. Sect. 2. art. 2. Jacob.
Fournenc Synop. Phil. Tom. 1. c. 2. Cornæus Curric. Philos.
perip. part. 1. tract. 1. disp. 1. q. 2. Sect. 1. B. Jac. Mart. partit.
Metaph. lib. 2. Sect. 15. Dn. Casparus Ebelius Metaph. Spec.
disp. 14. Sect. Unica. A. 1. Paulus Voetius Phil. prim. reform.
c. 6. Sect. 2. n. 3. p. 90. & alii innumeri.

DEC. V.

Non igitur in Entium Rationis locum surroganda sunt, quæ à Caramuele vocantur Entia Linguae. Ita contra Caramuelem ipsum asserimus, qui posteaquam l. d. rejecisset omnia Rationis Entia, tandem princ. 9. concludit: Dari Entia Linguae ad instar Entium Rationis: quæ postmodum in Entium Rationis Communiter receptorum locum substituenda esse rationibus haud paucis adductis censet. Hæc verò Entia Linguae dicit esse propositiones impossibiles: propositiones intelligit tam virtuales, quam formales: quin imò voces compositas, qualis est e. g. Equiferus in hunc locum transfert quas dicit esse, quodammodo propositiones. Dividit autem Entia hæc linguae, juxta tres mentis nostræ operationes, in Denominationem, Prædicationem, & Syllogismum. Addit postea, se multos viros doctos in suam traxisse opinionem, qui sincerè fateantur, se nihil unquam aliud intelligere Entis Rationis nomine, quam Ens Linguae, inter quos est citatus Caspar Oderwolff. Imò adeò certam esse hanc Doctrinam putat, ut à nullo homine libero ac nulli Scholiarchæ obnoxio negari posse videatur.

2. *Quanquam aliàs, tum propter voces non significantes, tum propter æquivoca, tum propter varia in variis linguis vocabula uni rei designande accommodata, negari usq; adeo vix possit, dari Chimeras quasdam vocales seu Linguae Entia. Quæ quidem, utrum ante Caramuelem quispiam Entia linguae appellarit, haud novi; sed nec refert, ubi res est satis manifesta. Videri potest Caramuel l. d.*

3. *Quorū tamen divisio in Denominationem, Prædicationem, & Syllogismum, tribus mentis nostræ operationibus respondens, legitima censeri haud potest. Utitur eā Caramuel l. d.; qui tamen suorum immemor est verborum, ubi p. 59. statuit vocales omnes Chimeras ad secundam operationem pertinere, formaliter vel virtualiter. Species verò una opposita, nec formaliter nec virtualiter est altera opposita Species, aut ad eam ullo ex dictis modo pertinet, sicut homo nec formaliter nec virtualiter est*

ter est brutum, neque item aut formaliter aut virtualiter per-
tinet ad brutum. Quin imò nec divisionis bonæ observat Le-
ges, omisso potissimo requisito, quod est distinctio membro-
rum oppositorum ad minimum formalis. At verò denomi-
natio, prædicatio & Syllogismus, licet aliàs quoad conceptus
mentis, quos repræsentant, differant inter sese; non differunt
tamen, quod ad linguam, utpote quæ sese ad singula eo-
dem habet modo, tanquam fabricans & proferens instru-
mentum.

DEC. VI.

*Jam quod naturam & quidditatem Entis Rationis
attinet, non est illud*

1. *Aliquid habens aliquam Entitatem in se, etiam ante actu-
alem operationem mentis; quæ Sententia est Petri Nigri in Cly-
peo Thomistarum q. 3. referente & refutante Dn. Paulo Sle-
vogd. in Disp. de Ente Rationis th. 17. seq.*

Non 2. *id quod in intellectu quocunq; modo residet: quod
Hervæus Brito quodl. 3. q. 3. & Occam, 1. part. Log. c. 4. existi-
mant, teste Casp. Ebelio Coll. Metaph. disp. 14. art. 2.*

Non 3. *Ens Reale & Possibile, confictum sive suppositum loco
non-Entis seu Nihili, itemq; aliquid impossibile & non-Reale, quat.
fingitur aliquid in eo esse, in quo esse repugnat: uti existimat P.
Jac. Fournenc. c. 2. Log. part. 2. Concl. 2. & 3.*

Non 4. *Vel Ens Impossibile Realiter quatenus in animâ obje-
ctivè, secundum esse Reale & possibilitabile, i. e. conceptibile ut pos-
sibile, vel Ens possibile Realiter, quatenus in animâ objectivè, secun-
dum esse Reale impossibilitabile, i. e. conceptibile ut impossibile:
quomodo Ens Rationis strictè, prout scil. Enti Rationis latè
sumpto, quod confunditur cum eo, quod ab intellectu est sub-
jectivè aut directivè, est oppositum, definit Franc. Bonæ Spei
Tract. 1. Log. in Ante-Universalibus disp. 1. dub. 2. Resol. 3.*

Non 5. *Quicquid nihil intrinsecum ponit in rebus: seu extrin-
seca quævis denominatio: quæ res cognita denominatur ab actu in-
tellectus secundum aliquam proprietatem vel conditionem convenien-
tem rei, quatenus cognita est: quæ Thomistarū sententia, prolixè
ab Hur-*

ab Hurtado refutatur disp. 19. Metaph. Sect. 1. *Ubi nos quidem largimur facile, aliquas denominationes extrinsecas esse Entia Rationis; non tamen id de omnibus omnino extrinsecis denominationibus concedendum judicamus.* Videri possunt, quæ hanc in rem habet Arriaga disp. 6. Metaph. Sect. 1. Joh. Lalemandetius disp. 2. Logica. Partit. 3. p. 36. n. 19. cum distinct. h. l. procedit: Concedit Denominationes extrinsecas, quales sunt e. g. Paries visus, dexter, &c. esse Entia Rationis, secundum esse Relativum; negat verò secundum esse terminativum: quam distinctionem nos non omnino improbamus. Carol. Franc. D'Abra de Raconis adhuc aliter Distinguit: ait enim, quod si Ens Rationis sumatur pro eo, quod fingitur ab intellectu, denominationes extrinsecas non esse Entia Rationis; si verò pro eò, quod medium est inter Ens Reale & nihil, esse omnino Entia Rationis, i. e. nec Reale quid, nec nihil, sed medium inter Ens & nihil. Quam tamen distinctionem nos in præsens rejicimus, uti patebit postmodum.

Non 6. *Denominatio quadam intrinseca, rebus certo modo cognitis adveniens, quæ consequitur rem seu objectum Reale prout est objective in intellectu:* quæ mens est Joh. Lalemandetii l. d. n. 20. qui numero præcedenti 18. hanc sententiam dicit esse, Communem sensum Philosophorum, excepto Ruvio, tract. de natura Entis Rationis. n. 4.

Non 7. *Ens impossibile, judicatum existens, vel potens existere Realiter:* quam nonnullorū opinionem refutat Franc. Bonæ Spei l. d. Resol. 2. Est q; illa Melch. Corn. Tr. 1. Log. disp. 1. q. 2. dub. 3.

Non 8. *Idem quod Intentio secunda;* quæ sententia à Petro Nigro Hervæo adscribitur, tract. de Intent. secundis: apud Slevogd. in Disp. d. th. 24.

Non 9. *Medium Negationis inter Ens & nihil:* uti post Carol. Franc. D'Abra de Raconis num. 5. citatum, decernit Adrianus Heereboord. vol. 1. Meletematum Philos. in disp. 50. th. 9. & 10. Ubi posteaquam th. 9. Suarezium & ejus, quos vocat, Compilatores explosisset satis, quasi negationes, privationes, atque Entia ficta, ut Chimeras, Centauros, &c. perperam inter Rationis Entia referant; tandem th. 10. satis pro imperio

imperio decernit : Ens Rationis non esse nihil, non esse Ens Reale, sed medium negationis inter Utrumque : quale dari disp. præced. 49. th. 7. & seq. demonstrare conatus est. Hanc verò sententiam suam, hausit è Præceptore suo atque Prædecessore Francone Burgersdicio Met. l. 1. c. 5. th. 10. Et prius c. 3. th. 8. quo referendus quoque est Paulus Voetius Phil. primæ Reform. c. 6. Sect. 2. n. 2., qui itidem Ens Rationis inter non-Entia i. e. ea, quæ juxtâ ipsum sunt medium quid inter Ens & nihil refert. Eodem referendus Antonius Deusing. Disp. 1. Met. th. 9. seq. p. 17. seq.

Sed 10. *Quod habet esse nudè objectivum in intellectu.* Ita communiter statuunt, & rectè quidem. Franc. Suarez Disp. 54. Metaph. Sect. 1. n. 6. qui pro eadem Sententiâ citat. Comm. in Sextum Metaph. Comm. 3. Thomam opusculo 42. c. 1. & alibi. Soncinatem l. 10. Metaph. Sect. 5. Cajet. de Ente & Essentia cap. 1. Durandum in 1. dist. 19. q. 5. n. 6. & q. 6. n. 9. & dist. 33. q. 1. n. 10. quorum tamen postremus uti idem Suarez. notat. addit, totum esse Entis Rationis esse denominationem extrinsecam ab actu Rationis. Gemina quoque Sententiæ nostræ Sententia est, Fons. l. 5. Met. c. 7. q. 6. Sect. 5. qui tamen perperam Ens Rationis pressè ac propriè dictum contradistinguit Enti ficto, quat. fictum est : ac putat Ens Rationis strictè ac propriè esse Ens cujus esse ita pendet ab operatione intellectus ut nihilominus de Entibus Realibus dici possit, cujusmodi sunt notiones generis Speciei & similes : Ens fictum verò, quat. tale est, esse Ens, cujus esse ita pendet ab operatione intellectus, ut de nullo Ente Reali dici possit, ut Chimera, Tragelaphus, &c. ita scil. Generalem Rationem Entis Rationis nimiooperè coarctat, dum, quæ ad Entia Rationis speciatim sic dicta Logica spectant, ad communem Entis Rationis rationem referre vult. Vid. Slevogd in disp. de Ente Rationis thes. 8. Similiter ipse quoque Mendoza Ens Rationis dicit esse, quod tantùm habet esse Objectivè in intellectu, Disput. 19. Metaph. Sect. 1. §. 9. Non aliter Roder. de Arriaga disput. 6. Met. Sect. 1. num. 6. Philip. à S. Trinitate part. 1. Summæ Philosoph. q. 2. Art. 2. p. 47. Gilbertus Jacchæus Instit. Met. l. 6. c. 25. p. 427. B. Jac. Mart.

B

Dn.

Dn. D. Scharffius, Dn. D. Calovius, Sthalius, Ebelius, Slevogd,
& alii plurimi: Quorum tamen postremi duo τὸ esse objective
tantum in intellectu; malè explicant, dum impossibilitatem
existendi Realiter huic Conceptui immiscerunt, quod & alii fa-
ciunt: de quâ re paulò post. Expressè tamen hæc definitio im-
pugnatur à Franc. B. Spei l. d. Resol. i.

Hinc 11 *Nec illa sententia tolerari potest, quæ asserit omne Ens
Rationis esse Accidens:* quæ est Timpleri l. 1. Metaph. c. 3. q. 10.
Refutatur verò à B. Jac. Mart. Partit. Met. part. 2. Sect. 15.

Nec verò 12. *ad Quidditatem Entis Rationis sufficit posse con-
cipi, seu habere potentiam ad Conceptum, seu uti concipiatur; sed
oportet ut actu concipiatur.* Quod rectè observat Paulus Voet l. d.
p. 89. n. 2. & ante illum Mendoza l. d. §. 12. C. Lalem. Log. p. 20.

Nec 13. *Dici potest Ens Rationis precedere ratione actum quo
effingitur:* Uti rectè idem Mendoza §. 13. colligit.

Nec tamen 14. *requiritur ad Essentiam ejus possibilitas aut
impossibilitas existentia Realis.* Ita contra Cornæum Jesuitam l.
d. q. 2. Sect. 1. dub. 2. Caramuelem à Lobkovitz l. d. Franc.
Bon. Spei, Jac. Fournenc, Casp. Ebelium, Paulum Slevogd
alioque, qui Ens Rationis vel per possibilitatem aut impossi-
bilitatē existentia realis explicant; vel omnino ad id impossi-
bilitatem existendi realiter, exigunt. A nostris verò partibus
stat Mendoza l. d. §. 14. Arriaga l. d. Sect. 3. subsect. 1. Dn. D.
Scharff. in præfat. Met. Paulus Voetius l. d. p. 90. aliique.

DEC. VII.

*Causas Entis Rationis quod concernit, de materiali, formali, & finali,
res difficultate caret. Controvertitur solum de Efficiente,
nostra Sententia est sequens.*

1. *Ens Rationis omnino habet aliquam causam efficientem, ter-
minis juxta Subjectam materiam explicatis: non quasi efficientia ter-
minetur intrinsecè ad Ens Rationis; sed quod detur via ad terminum
cui Ens Rationis objicitur: Ita nempe, ut causa Entium Rationis ef-
ficiat ea, producendo cogitationem aliquam, ratione cujus dicitur Ens
Rationis habere esse objectivum in intellectu.* Ita cum Suarezio l. d.
Sect. 2. n. 2. & 3. & Joh. Lalemandetio l. d. Gilberto Jacchæo
& aliis; contra Soncinatem & Petrum Nigrum à Joh. Laleman-
detio

detio citatos. De Soncinate tamen testatur Suarez, quod non absolutè dicat Entia Rationis non habere causam, sed non habere causam dantem ipsi esse, esse scil. existentia Realis. Lalemandetius verò argumenta ipsius adducit ac refellit omnimodam removentia causam efficientem ab Ente Rationis. Vid. Ebelius in disp. dicta Art. 3.

2. *Causa illa est intellectus humanus.* Contra Caramuelem lib. 2. Metalog. princ. 3. asserentem, non posse Entia Rationis fieri ab intellectu etiam humano: Quà in re testatur sese Vallesio, Bernardino Mirandulano, atque ipsi etiam Mayronio subscribere, eamque Resolutionem per omnes tres intellectus operationes postmodum diducit. Vid. Suarez. & Paulus Slevozd, disp. d. Thes. 2. & seq. Qui Soncinatem quoque in Sententiam adversam allegat, adjectâ erroris causa seu occasione.

3. *Etiam Angelicus & Beatificus.* Contra eundem Caramuelem l. d. princ. 2. & Ruvium tractat. de Ente Rationis in Log. n. 10. Vid. Ebelius & Lalemandetius disp. 4. Met. part. 1. n. 3.

4. *Non autem intellectus Divinus, sive sermo sit de Entibus Rationis Ratiocinantis, sive Ratiocinatae.* Contra Joh. Lalemandetiũ disp. 4. Met. post. Meurissium l. 1. Met. q. 3. qui existimant Deum quavis Entia Rationis efficere posse, tam fictitia, tam quæ habent fundamentum in re: ubi quoad fictitia gloriatur Lalemandet. hanc esse propriam ejus sententiam, contra omnium Philosophorum ac Theologorum communem sensum. Eandem sententiam fovet Phil. à S. Trinitate part. 1. Summæ Philos. q. 2. Artic. 4. qui citat pro se partim ipsum Thomam, partim etiam Salmanticenses tract. de Scientiâ DEI disp. 1. dub. 3. n. 59. & in Comm. Art. 9. itemque Didacum in Log. disp. 3. q. 3. Franc. Bon. spei licet videatur cautè admodum procedere velle, revera tamen eundem fovet errorè, quando dubio 3. Res. 4. ait: Cognitione divinâ inadæquatè conceptâ, & inadæquatione sumpta quat. se tenet ex parte actus nostri formaliter præscindentis, potest Deus primariò & immediatè per se fingere Entia Rationis, strictè, sumendo ly fingere (non ut idem est, quod judicio mendaci impossibile dicere objectivè possibile;

sed) ad sensum definitionis Entis Rationis strictè supra allatæ, quanquam favorabilius sumi posset, prout idem est, quod intellectualiter depingere, figurare, formare, &c. atque in hanc sententiam allegat Henricum, Fonsecam, Dillium, Ægidium Lusitanum & Scotistas communiter. A nostris verò partibus stat Suarez. I d. Mendoza, Jacob. Fournenc, Roder. ab Arriaga, Melchior Cornæus, Raconis, Casp. Ebelius, Christophorus Scheiblerus & alii nostrates communiter.

5. *Cognoscit verò Deus Entia Rationis, non minus atq; Angeli aut homines, ab intellectu creato confecta.* Contrà Vasquezium, à Mendoza & Joh. Lalemandet. citatum. Cajetanum prima part. q. 13. Capreolum in I. Distinct. 8. q. 4. Art. 3. Ruvium tract. de Ente Rationis, quos pro se allegat Caramuel I. d. princ. 2. cujus hæc propria ibidem mens est, ubi dicit eos omnes licet variis fundamentis innitantur, ad ipsius tamen principia sub his terminis reduci posse: Fides sit penes ipsum. Communiter autem hæc sententia admittitur ab omnibus ferè, nominatim à Lorca apud Complutenses primario Cathedratico l. 2. Disp. 25. memb. 5. Joh. Martinez in suæ Logicæ de Universalibus disp. 2. q. 2. Didaco de Jesu disp. 2. q. 4. Molina & aliis apud eundem Caramuelem, ut de nostratibus Philosophis nihil dicam.

6. *Nontamen Entia Chimerica dicendus est cognoscere independenter ab actibus creaturarum:* Contrà Rodericum ab Arriaga disp. 6. Met. Sect. 4. n. 44.

7. *Format Humanus intellectus hæc Rationis Entia per primam, secundam & tertiam operationem.* Contrà Melch. Cornæum, negantem Entia Rationis fieri per simplicem apprehensionem, atque asserentem fieri tantum per judicium falsum. Sequitur verò hæc in parte Mendozam disp. 19. Met. sect. 1. §. 15. Nostram sententiam tuetur Dn. Casp. Ebelius l. d. art. 3. p. 282. & Dn. Slevoigd in disp. d. th. 34. 35. seq. qui & Suarezium disp. 54. Met. sect. 2. n. 15. Vasquium p. 1. Tom. 1. Disp. 76. n. 6. Rodericum ab Arriaga in disp. 6. Met. sect. 3. n. 31. pro nobis allegat.

8. *De aliis potentiis anime humane quæri potest, Annon & hæc ad Analogiam Entis Rationis formant aliqua Entia, quæ non habent*

bent esse nisi *objectivum* in aliqua potentia? Ubi de iis facultatibus, qualis est e.g. locomotiva, augmentativa, aliisque quibus cum cognitione nihil intercedit, res est manifesta, quod Entia talia non formant. Queritur solum de ceteris, quâ de re dicimus.

9. *Sensus externi visus odoratus, gustus, &c. Non faciunt Entia non habentia esse nisi objective in ipsis.* Secus atque Joh. Lalem. disp. 4. Met. part. 2. n. 5. cum quo Scotistæ communiter faciunt, & Arriaga l. d. sect. 3. subsect. 2. & 3. Quibus opponi potest Suarez. disp. 54. Met. sect. 2. num. 16. Mendoza disp. 19. Met. sect. 1. §. 18. Franc. Bon. Spei l. d. dub. 3. Resol. 1. Phil. à S. Trinitate l. d. art. 3. Caramuel à Lobkovviz Metalog. art. 2. princ. §. 6. 7. 8. prolixè. Masius in Logica q. 3. Sect. 2. Paulus Slevogd disp. d. th. 37. Scheibl. Paulus Voetius & alii.

10. *Voluntas itemque appetitus sensitivus non faciunt Entia non habentia esse nisi objective in ipsis.* Itidem contra Lalemadedium l. d. Itemque contra Franc. Bon. Spei adversus Murciam, Oviedum, Poncium, Comptonum Disputantem, quibus adjungi possunt Caramuel, Suarez, Philippus à S. Trinitate, Paulus Voetius, Scheiblerus, & alii, qui nobiscum omnes h. l. faciunt.

11. *Phantasia tamen seu imaginativa facultas facit Entia talia, quæ non habent esse, nisi objective in ipsâ.* Ita cum Suarezio, quem Scheibl. sequitur, itemque cum Franc. Bonæ Spei, Arriaga & Lalemadedio l. d. quorum postremi tres, ad imaginativam quoque brutorum id extendunt: quod non omninò improbamus; quicquid etiam Slevogdus th. 37. in contrarium dicat. Aliàs verò Sententia nostra improbatur à Ruvio, Poncio, Caramuele, Murcia, Oviedo, Paulo Voetio & aliis pluribus.

DEC. VIII.

Inter Entia Rationis maximè controversum est Ens Rationis Logicum seu Notio secunda: Non quidem Formalis, de qua certum est esse conceptum Realem intellectus, qui exhibet intellectui Objectum aliquod, non quatenus in se, sed quatenus cognitum est: Controvertitur verò de Notione secunda Objectivâ. Nos sequentia notamus.

1. *Notio secunda Objectiva, licet quandoq; materialiter & Remote, includat Objectum cognitum Reale; Formaliter tamen non est Ens Reale, explicando illam, per extrinsecam & Realem denominationem, consistentem formaliter in actu intellectus, quæ sit ejus ordinis, cujus sunt ea, quibus res denominatur visa aut amata, &c. uti vult Mendoza disp. 1. Log. sect. 4. §. potissimum. 22. & 24. quo referendus quoq; Caram. l. 2. Metalog. princ. 9. q. 2. p. 63. n. 151. itemque Melchior Cornæus l. d. dub. 8. qui ad Quæstionem An intentiones secundæ Logicæ e.g. Generis, Subjecti, &c. sint Entia Rationis? Respondet simpliciter: quod non: si nihil aliud accedat; ac dicit revera à parte rei ita se habere, cum sit nihil impossibile, non secus atque dum paries denominatur, visus, post visionem. Tum verò demum, addit, fieri Ens Rationis, si intellectus judicans ly prædicatum esse aliquam Rationem intrinsecam in animali. Imò etiam Rodericus ab Arriag. disp. 2. Log. sect. 2. n. 15. 16. 17. rem esse definitam aut divisam, esse genus aut speciem seu quamlibet intentionem secundam, asserit non esse Ens Rationis, sicut non est Ens Rationis, parietem esse visum; sed esse Denominationem extrinsecam Realem proveniente à Formâ Reali extrinsecâ scil. ab actu intellectus.*

2. *Nec eò modo est Ens Reale explicando illam per quidpiam quod à primis notionibus non sit disjunctum, atq; ipsi postea impositum; Sed quod sit res ipsa seu conceptus rei, hoc secundo conceptu operatus; quemadmodum Zabarella l. 1. de naturâ Log. c. 19. p. 47. quem sequitur ex parte Scheiblerus introduct. Log. c. 1. p. 62. Ad eundem ferè modum videtur loqui Philip. à S. Trinitate, quando part. 1. Summæ Philos. q. 2. art. 6. p. 60. inquit; Intentio secunda Formalis est cognitio intellectus, quæ fertur in illa attributa, quæ conveniunt rebus tantum per intellectum: Objectiva verò sunt ipsæ Res secundum illa attributa tantum, quæ sibi conveniunt per intellectum. Quia tamen is postmodum addit, intentionem primam tam Formalem quàm Objectivam Esse Ens Reale: Secundam verò intentionem, Formalem quidem etiam esse Ens Reale, Objectivam autem Ens Rationis, quod Is aliàs perinde atque nos explicare solet; aliter fortè mens ejus erit capienda.*

3. *Nec*

3. *Nec dicendum est notiones secundas aliquas non esse Entia Rationis, adducendo in exemplum Universale, alias verò esse, e.g. Subiectum, predicatum, &c. quod facit Raconis prælod. posttr. Log. c. i. sect. 2. Art. 2. propos. 2. p. m. 14.*

4. *Nec Intentiones quasdam secundas esse Relationes Rationis, quasdam etiam Negationes; quod facit Fonseca l. 5. Metaph. c. 6. sect. 5. q. 469.*

Sed 5. *Omnes omnino intentiones secundæ sunt Entia Rationis: Ita plerique, potissimum nostrates Philos.*

Non quidem 6. quod notio secundæ sit conceptus quidam comparativus quo comparentur extrema seu fundamenta ipsius: qui fiat non per actum aliquem reflexum, sed primo actu directo intellectus comparantis hoc ad aliud: Uti Scotus vult 5. Metaph. q. i. i. apud Conimbr. in præfat. Porph. q. 6. art. 1. p. 141.

Nec 7. *Quod sit itidem conceptus quidam comparativus, quo apprehendantur ipsa extrema ut jam comparata, seu ipsa comparatio extremorum: qui supponat quidem conceptum comparativum priorum, sed formaliter representet ipsam relationem rationis: Uti vult Thom. 1. part. q. 28. art. 1. quem sequuntur cum Cajetano Conimbr. l. d.*

Nec 8. *Quod formaliter sit habitudo seu respectus, rei intellectæ ad actum intelligendi: uti Armandus de Bello visu tract. 2. de nominibus secundarum intentionum c. 269. p. 485.*

Sed 9. *Notio secundæ Objectiva est terminus reflexionis intellectus super actum ejusdem aliam, representantem Objectum ut cognitum: qui resultat, emanat atq; propullulat ex mutuâ Intellectus in se ipsum reflexione.*

DEC. IX.

De Privatione similiter quod disceptatur, ipsius potissimum quidditatem concernit: de quâ nos sequentia.

1. *Privatio non est Relatio positiva ad formam absentem, que fundatur in Subiecto & terminatur ad prædictam formam: prout Caramuel vult l. d. princ. 3. p. 50.*

Non 2. *Ens Reale privativum: sicut nec contra negatio Ens Reale negativum: pro qua sententia Franc. Bonæ Spei Poncium & Telles citat. Disp. 5. Phys. Resol. 2.*

Non

Non 3. *Medium inter Ens anime & Ens Reale, quod non nisi abusive dicitur esse: uti vult ipse Franc. Bonæ Spei l. d. resol. 3.*

Non 4. *Medium inter Ens & Nihil: uti Franco Burgersdicius Instit. Met. l. i. c. 3. & 4. Antonius Deusing. disp. i. Metaph. thesi 9. seq. aliique.*

Sed 5. *Privatio formaliter consistit in Remotione formæ à Subiecto capaci: Estq; illud, qua à nobis cognoscitur per modum Entis Positivi, seu per modum formæ ut Arriaga loquitur, omnino Ens aliquod nude rationis: quæ communis alias est sententia; & frustra ac frivole satis Suarezium & ejus, quos vocat, Compilatores, (quo nomine quos intelligere soleat ignotum haud est iis, qui emunctioris paulò sunt nasi) corripit Adrianus Heereboord in dicta disp. 50. Meletematum Philosophicorum th. 9. quod privationes & negationes referant inter Entia Rationis.*

F I N I S.



Ung. VI 75

ULB Halle


3

005 364 639



VD 77







23

JESU BONE FAVE!
DISPUTATIO METAPHYSICA
SECUNDA,
SUMMARIAM DECISIONEM
CONTROVERSIARUM
DE
ENTE RATIONIS
Exhibens,
quam
In florentissimâ Leucoreâ,
Sub PRÆSIDIO
M. JOHANNIS BAYERI, Epe-
riesino Hungari,
Publice Philosophantium limæ
submittit
MATTHIAS Stürzer /
Neosoliensis Hungarus,
In Auditorio Minori
Ad diem XXI. Julij horis pomeridianis,
ANNO MDCCCLXX.

Typis MICHAELIS Wendi.

h. m. 2030

